

Chrysomela bihamata; non audeo hanc assumere ob antennas, quæ videntur proprium genus indigitare, uti tota facies a *Chrysomelis* aliena est; mihi novum genus est *Hispa* dictum, quod comprehendit *Criocerin* spinis horridam Geoffr. 243. n. 7. nec non *Dermesten* clavicornem Syst. Nat. Ad hoc genus, si antennas *Chrysom. bihamatæ* rite ut soles delineasti, ea referri debet.

Systematis Naturæ impressio pervenit ad pag. 337, quæ de *Amphibiis* incipit; inde videbis quam multum aucta sit.

Optarem obtinere tomum 4^{um} *Sebæ*, ut in *Insectis* possem allegare figuras, sed vix obtinebo antequam *Insectorum* classis typum subibit.

Brissonii Phasianus cristatus a me ad *Columbas* relatus est.

Da *Costæ* characterem dedisti profecto uti ipse eum dudum concepi.

Sus æthiopica anne species *Hippopotami* vel affinis?
Capra hædus valde etiam singularis.

Tibi gratulor ex animo *Professionem Haffniensem*; certe digniorem numquam obtinerent.

Salutando *D. Ellisium* dicas ipsi velim, quod descriptionem istius *Muddigvan*¹⁾ propediem habebit in dissertatione de *Sirene lacertina* verbotenus exaratam, quam mittam quamprimum prelum reliquit.

To Mr Brunnich to beleft at Mr Claus Heyde in Well
Close square
frij br. London

1) Cfr. Linn. *Amoen. Acad.* VII, p. 323 (*Siren Lacertina*): »Cum e Carolina animal hoc ad Nob. D. Præsidem per D. Ellis Londino huc mitteretur, acutissimus & oculatissimus hic naturæ scrutator scripsit, probabile sibi videri Larvam hanc esse *Lacertæ Igvanæ*, quod nomen quoque *Americanum Mud-Igvanæ* forte indicat. Sed res utique nondum satis liquet, cum digitos habeat unguibus instructos, quibus nulla gaudet larva *lacertæ* nobis nota.«